

JAHRES-BERICHT

des

k. k. zweiten Ober-Gymnasiums

IN LEMBERG

für das Schul-Jahr

1882.



LEMBERG.

Verlag des k. k. II. Ober-Gymnasiums.

1882.

JAHRES-BERICHT

des

k. k. zweiten Ober-Gymnasiums

IN LEMBERG

für das Schul-Jahr

1882.



LEMBERG.

Druck von Anna Wajdowicz (vormals M. F. Poremba).

Geschäftsführer Felix Bednarski.

1882.



nr. 132
Spr. 132

I N H A L T.

- I. De Horatio et Juvenale satirarum auctoribus, von Franciscus Majchrowicz.
 - II. Die Slavenkriege zur Zeit Ottos III. und dessen Pilgerfahrt nach Gnesen, hist. Abhandlung von Prof. Eugen Zharski.
 - III. Dramaturgische Tafel. Sophokles: Oepidus Rex. — Uebersichtliche Inhalts-Tabelle der 3 Olynthischen Reden von Prof. Cornel Fischer.
 - IV. Schulnachrichten von der Direction.
-

DE

HORATIO ET JUVENALE

SATIRARUM AUCTORIBUS.

SCRIPSIT

FRANCISCUS MAJCHROWICZ.

CAND. PHIL

DE

HORATIO ET JUVENALE

SATIRARUM AUCTORIBUS.

Satirae Romanae origo tam est antiqua, quam ingenii atque morum populi Romani. Homo Romanus, cuius animus semper minus in literarum studiis, quam in rebus atque usu vitae communis versabatur, cum indignatione quadam ineptias erroresque hominum cuiusvis generis intuebatur: nugas vitiaque cum homine, tum imprimis Romano indigna ratus tamquam herbam frugibus inimicam radicibus extirpare studuit.

Quamdiu morum integritas atque honestas ab omnibus Romanis civibus rite et colebatur et observabatur, homines vero pravis perversisque moribus civitatis legibus pleetebantur, nihil fuit causae, cur poetae satirici indignatione commoti vitia erroresque hominum castigarent et perstringerent „perditos enim cives a censore melius erat, quam a poeta notari“¹⁾, Quare Lucilius, Romanae satirae auctor, quamquam libertate vel maxima hominum vitia reprehendit nigroque sale perfricat, tamen liber est ab omni indignatione atque acerbitate, quam satirici posteriores, Persius et Juvenalis, prae se ferunt²⁾. Sed ex quo tempore vitia in dies crescere, virtutes sensim evanescere coeperunt, ex quo illa gloriae cupido atque vera virtus

¹⁾ Cicero de republ. IV, 11, 40.

²⁾ Teuffel: Charakteristik des Horaz, Ein Beitrag zur Literaturgeschichte, Leipzig 1842. p. 29. Roth: de satirae Romanae indole eiusdemque de ortu et occasu Progr. des Schönthaler Seminars Heilbronn. 1841. p. 5—7.

in virtutis ridiculam ostentationem abiit, censoria nota non iam sufficiebat, medicina opus erat praesenti atque strenua, qua morbus civitatis, si non plane exstingueretur, at certe minueretur. Quam medicinam a duobus potissimum poetis satiricis, egregium in modum adhibitam videmus; ab Horatio et Juvenale, ab utroque diversissima ratione. Ratio igitur ac via, quam uterque satiricus secutus ad propositum pervenire conatus est, huius disputatiunculae argumentum erit. Quoniam vero naturam satirae utriusque poetae tum demum recte aestimari posse puto, cum aetas, qua uterque floruit, natura, ingenium, mores, doctrina pernosceretur atque explanabitur, dicendum est nobis igitur primum:

§. 1.

De aetate, qua uterque poeta vixit.

Horatii temporibus imperii Romani fines longissime erant prolati. Viri regnandi cupidi atrociter inter se gerebant bella, vastabatur Italia, diripiebantur provinciae, res vitaeque civium forti casuique obnoxiae, a felicissimo quoque venundabatur. Proelio demum apud Actium commisso Romana respublica in manus unius incidit, qui scite gubernacula imperii rexit vulneraque bellis civilibus civitati toties inflicta sanavit.

Et tamen haud omnia sanari poterant. Romanorum civium mores iam tunc temporis praecipites ire coeperant. Qui enim olim inopem, duram simplicemque agebant vitam, mortemque pro patria oppetere summam laudem esse duxerunt, luxuriae avaritiaeque omnes fere indulgebant, militiaeque laborum impatientes, a mercennariis se suaque defendi patiebantur. Quae artes instrumentaque luxuriae atque voluptatis excogitari poterant, omnia Romam translata splendidissime honorabantur. Atque cum omnes id tantum agerent, ut luxuria affluerent vitaeque otiosi perfruerentur, quid mirum, quod, cum paupertas pro vitio haberetur, vita in omnia scelera effusa decori esset, ii, quibus neque militia, neque patrimonio facultates satis magnae obvenissent, alii aliam ingrediebantur viam, qua ad beatam, quae videretur vitam, pervenire possent, quodque nihil tam sordidi, nihil tam abiecti erat, quod cives Romani illius aetatis non susceperant, non tentarent? Nemo iam ea aetate munus publicum ideo petivit, ut patriae serviret sibi que dignitatem pararet, sed, ut divitias coacervaret quam

maximas sordidissimasque cupiditates libidinesque satiaret. Ipse Augustus quamquam semper fere ad hominum mores emendandos dignitatemque civitatis augendam animum intendit, tamen, cum id praecipue ageret, ut regnum sibi suisque firmaret, nonnihil ad perniciem civitatis contulit.³⁾

Ut enim animos civium sibi conciliaret, libertatisque dulcedinem oblivione obrueret, plebem munerum ludorumque magnificentia mulcebat, principes tum beneficiis cuiusvis generis sibi devinciebat, tum ad studia excitabat artium et literarum, sibi soli regni onus et emolumenta vindicans. Nihilo tamen secius aetas Augustea multo melior feliciorque erat extremis rei publicae temporibus, princeps enim id egit, ut quies atque dignitas pristina restitueretur, multa vitia sceleraque legibus coercerentur saluberrimis, ipse vitam suam tamquam exempla ad imitandum proponebat civibus, optimus denique fuit atque aequus imperator erga summos et infimos⁴⁾, Idem artes literasque atque ingenia suae aetatis omnibus modis fovit, qua in re ab amicis, quorum optimos circa se semper habuit, egregie est adiutus, ut a Maecenate, Asinio Pollione, aliis. Quare factum est, ut multa et praeclara illa aetate existerent ingenia, quorum opera ad mores civium, si non emendandos, at certe excolendos plurimum contulerunt. Libertas dicendi scribendique non quidem semper, tamen interdum concessa, animis, qui suum indicium sequi solebant, constantiam nondum ademit, sine qua nihil perfecti cogitari potest: libertas, quamquam non in omnium ore, at tamen in omnium fere mente atque cogitatione fuit, neque, si forte praeter modum eruperat, opprimebatur⁵⁾.

Multo alia est imago aetatis, qua Juvenalis vixit, quam in satiris descriptam reliquit. Imperatores enim illius temporis non iam consilia sua occultare student: imperio potiti omnibus artibus obtinere cupiunt, quae possederunt, invidi atque suspicaces in omnes, qui paulo liberiores dictis vel factis pristina tempora revocare parant. Quia non licuit eum esse, qui quisque erat, homines eos simulabant, qui non erant: itaque

3) Höck: Römische Geschichte vom Verfall der Republik bis zur Vollen-
dung der Monarchie unter Konstantin I. pag. 315—316. et p. 325.

4) Ruperti in praefatione ad edit. Juv. alteram pag. LXXX.

5) C. Julius Bolia. De Horatio et Juvenale, satirarum auctoribus. Friburg.
Brig. 1861. p. 15.

factum est, ut turpissima simulatio in constantiae sinceritatisque locum succederet. Quantis terroribus plena fuit illa aetas, qua virtutes scelerum poena afficiebantur, qua homines honesti periculis undique sese irretitos videbant, qua Domitianus, tyrannus summo odio dignus, suspicacissimus idem, delatorum turba circumdatus nulli virtuti aditum praebebat, qua animi serviles consilia tyranni adiuvabant, qua principes nulla voce emissa in sententiam arbitriumque tyranni ire solebant, qua senatus ideo tantum vocabatur, ut maximarum iniuriarum auctor fieret, aut de rebus vilissimis consuleretur, qua cives Romani, „memoriam quoque ipsam cum voce perdidissent, si tam in eorum esset potestate oblivisci, quam tacere“⁶⁾ Artium studia et literarum imperatores huius aetatis simulant neque tamen iis imbuti sunt, quo fit, ut neque magna ingenia foveant, et ea perdant, quibus ipsis satis virium sit ad magnas res perficiendas. Nihil igitur mirum, quod „omne, quod natura dietavit, humile et sordidum putabatur, contra tumidum quodque ad coelum extollebatur“⁷⁾. Hominum literatorum conditio haud ita splendida fuit, ut ad studia diligenter excolenda incitari possent. Quod recentiores⁸⁾ ab Juvenale conditionis hominum literatorum imaginem illa aetate florentium nimis atris coloribus inductam putant, iniuste facere videntur: quod enim poeta contendit firmissimis argumentis probatur et a Plinio et a Martiale.

Plinius enim in Epistulis III, 21. haec de ea re tradidit: „fuit moris antiqui, eos, qui vel singulorum laudes vel urbium scripserant, aut honoribus, aut pecunia ornare, nostris vero temporibus, ut alia speciosa et egregia, ita hoc imprimis exolevit“. Martialis autem I, 76.

„Praeter aquas Helicon et sarta lyrasque dearum

„Nil habet et magnum, sed perinane sophos.“ III, 38.

V, 56. Lupo cuidam dissuadet, ne filium suum grammaticam aut rhetoricam discere iubeat additque:

„Fac discat citharoedus aut choraules,

„Si duri puer ingeni videtur,

„Praeconem facias vel architectum.

⁶⁾ Tac. Agr. 2. Plinius Ep. V, 15, 6. VII, 14, 7. et 8. Plinius der Jüngere. Ein Charakterbild aus der römischen Kaiserzeit. Progr. Hof. 1875. pag. 4.

⁷⁾ Quintilianus: Inst. Orat. II, 5, 11, VIII, 24.

⁸⁾ W. Drumann: Die Arbeiter und Communisten in Griechenland und Rom. Königsberg 1860 pag. 207.

X, 76. Equitis cuiusdam fortunam describit cum mulione quodam conlatam :

„Jucundus, probus, innocens, amicus,
„Lingua doctus utraque, cuius unum est,
„Sed magnum vitium, quod est poeta,
„Pullo Maevius alget in cucullo,
, Cocco mulio fulget Incitatus.“

§. 2.

De natura, moribus, ingenio Horatii et
Juvenalis.

In aestimandis cuiusvis scriptoris moribus ante omnia observandum est. ne, quoad fieri possit, opera et mores eius inter se misceantur; nullo igitur modo concessum est, propter honestos mores opera poetae, aut omnino scriptoris pluris aestimare neque propter opera eius egregia morum foeditati indulgere. Poetae mores ex operibus ipsius aestimari non posse, ostendit iam Ovidius^{*)}, quamquam huic poetae haud ita magna fides habenda est, quippe qui pro domo sua loqui videatur. Ea enim re se ipsum excusare conatus est, quod arte amatoria scripta haud ita magnum scelus commisisset, ut in extremum Scythiae angulum relegaretur. Nihilominus tamen in maximas incurrunt difficultates, qui in poetae operibus aestimandis opera a moribus non satis accurate distinguant atque secernant.

Horatius libenter ac saepe occasione data de sua natura ac moribus loquitur, at tamen non semper ex dictis poetae verum elici potest. Itaque in satira I, 6. vita moresque poetae optime depinguntur, docemur de poetae patria patreque, qui summa cum reverentia gratisimoque animo commemoratur. Introspicimus in vitam poetae juvenilem, accipimus nonnulla de eius studiis, quibus Romae, quibus Athenis deditus erat, de proelio apud Philippos commisso,

^{*)} Trist. V, 357 -- 360. Plinium etiam legimus hendecasyllaba composuisse. Cum vero amici saepius mirarentur eum omnino hanc rem sibi tractandam delegisse, rem viro severo minime dignam, excusasse se fertur exemplo virorum clarissimorum optimis moribus, qui eiusmodi res tractare non dubitarent (V, 3. IV, 14).

adsumus sermoni, quem primum habuit poeta cum Maecenate, videmus artissima vincula inter utrumque virum necti. Fit quoque ibidem mentio Varii, Vergilii aliorumque poetarum, quibuscum Horatius familiaritate intima vixit, vides denique imaginem vitae modicae, minime affluentis luxuria, vividis coloribus expressam. Natura fuit Horatius acri et vehementi, facile tamen mitigabatur, ut omnes „corpore obeso“ lentus et piger, vitae perfruendae cupidissimus, Veneri¹⁰⁾ et Baccho interdum nimio plus deditus. Scortis vulgaribus uti had ita magnum scelus autumat neque cuiquam eam consuetudinem vitio vertit, praeterquam, si quis totus in Venerem ruens rem familiarem atque valetudinem perdit et profundit. Moechi autem, libidinosi, impudici in satira I, 2. acerbissimo sale perfriantur; non id tamen ibi poeta agit, ut vitae honestae pulchram adumbret imaginem, turpem autem vitam ignominia notet, sed id tantum indicat, ex eiusmodi vita valetudinem aut rem familiarem minui atque pessumdari, ideoque scorta prostibulaque vitanda esse docet. — Adulterium in eadam satira neque flagitium neque scelus esse contendit, sed stultitiam appellat, qua res familiaris, fama, valetudo in periculum vocetur. Quare cum matronas sectari vetat, haec proponit: I, 2, 77:

„Desine matronas sectarier, unde laboris

„Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructus.“

Quamquam in ea re cave, ne plus iusto Horatium morum turpitudinis incuses. Alia enim fuit veterum Romanorum atque nostrae aetatis hominum de morum honestate aut turpitudine opinio. „Romani enim, quidquid officiorum se debere existimabant, id aut utilitatis vel publicae vel privatae causa, aut propter morem maiorum, sive propter decentiam assequendum esse arbitrabantur.“¹¹⁾ Est igitur Horatius Aristippi scholae quodammodo addictus, „sibi res non se rebus subiungere“ conatus, quamquam dici vix potest, cuius philosophi praecepta potissimum sit secutus. Juveni quidem

¹⁰⁾ Sat. II, 3, 325.:

„Mille puellarum, puerorum mille furores“
poetae a Damasippo obiciuntur.

¹¹⁾ C. L. Roth: de satirae Romanae indole etc. p. 5. A. Arnold: Das Leben des Horaz und sein philosophischer, sittlicher und dichterischer Charakter. Halle 1860 p. 136.

Epicuri¹²⁾ praecepta placebant, brevi tamen hoc onere sese liberavit et per vitam omnem totus erat in

„ agendo naviter id, quod
„Aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque,
„Aeque neglectum pueris senibusque nocebit.“

Neque in eiusmodi paulo liberioribus vitae praeceptis statuendis poeta quicquam contra morem illius temporis peccavit. Eam enim rationem vitae probasse viros severissimis moribus, cum ex multis aliis tum ex satira I, 2, 31. sqq. perspicui potest, ubi haec leguntur:

„Quidam notus homo, cum exiret fornice:“ Macte
„Virtute esto,“ inquit sententia diva Catonis;
„Nam simul ac venas inflavit taetra libido,
„Huc iuvenes aequum est descendere, non alienas
„Permolere uxores.“¹³⁾

Nullius rei studio diu tenebatur poeta: luxuriam evitavit felicissime, neque avaritiae indulgit ita, ut sese si a quo alio vitio, at certe avaritia vacare suo iure profiteatur.¹⁴⁾ Vitam liberam, sibi

¹²⁾ L. Müller: Quintus Horatius Flaccus, eine litterar-historische Biographie. Leipzig 1880 p. 58. A. Arnold l. l.

¹³⁾ Cf. Lucretius: de rerum natura: IV, 1056. sqq.
„Ulcus enim vivescit et inveterascit alendo,
„Inque dies gliscit furor, atque aerumna gravescit,
„Si non prima novis conturbes volnera plagis,
„Volvivagaque vagus Venere ante recentia cures,
„Aut alio possis Animi traducere motus.“

Cic. p. Caelio 20, 48: Verum, si quis est, qui etiam meretriciis amoribus interdictum iuventuti putet, est ille quidem valde severus, — negare non possum — sed abhorret non modo ab huius seculi licentia, verum etiam maiorum consuetudine atque concessis. Quando reprehensum, quando non permissum? quando denique fuit, ut, quod licet, non liceret?

Quid de illo puellarum choro, ab Horatio laudibus toties celebrato existimandum sit, perspicui potest ex Lessingii: Rettungen des Horaz in Operum edit. Berolini 1838 t. IV, — Grotefend in: Erschii et Gruberi: Allg. Encycl. Sect. II. t. X. p. 464. — Weber N. Jahrb. f. Philologie u. Pädag. IX. Suppl. Bd. p. 248. — Teuffel ibidem VI. Suppl. Bd. p. 325 sqq.

¹⁴⁾ Sat. II, 1, 85. Müller l. l. p. 57. sat I, 1, 102, sqq.

constantem, omnibus bonis praeponit, quare, quamvis a summis rei publicae civibus quam maximis ornatus honoribus, tamen vitam urbanam fastidit atque rusticam summo desiderio appetit.¹⁵⁾ Ambitione denique atque honorum cupidine vacuus contemnit atque despiciit vulgus, quod „famae servit ineptum, quod stupet in titulis et imaginibus.“ Sat. I, 6, 16.

In moribus atque natura Horatiana rite depingendis gravissimi momenti est quaestio, quam opinionem poeta de virtute habuerit, quid de natura humana eiusque indole iudicaverit, idoneamne eam putaverit ad bene honesteque agendum, „ad agendum naviter id, quod aequae pauperibus prodest locupletibus aequae, aequae neglectum pueris senibusque nocebit.“ Virtutem igitur honestatemque nemini insitam esse arbitratur neque a diis hominibus dono dari, „Iupiter enim dat vitam, dat opem, aequum sibi animum homo ipse paret, necesse est.“¹⁶⁾ Atque, quod poeta natura iam ipsa ad hilaritatem propensus, non tam acerbe hominum vitia perstrinxit, quam qui postea floruerunt satirici, inde potissimum profectum est, quod semper et ubique memoria tenuit „neminem sine vitiis nasci optimumque illum esse, qui minimis urgeretur, bonum esse illum, cuius natura vitiis mediocribus ac paucis mendosa esset, alioquin recta, si neque avaritiam neque sordes nec mala lustra obiciet vere quisquam ei.“ Quoniam autem vitia non insita hominibus esse putat sed malorum hominum consuetudine parata, „neminem adeo ferum, adeo vitiis obrutum esse arbitratur, ut non mitescere possit, si modo culturae patientem commodet aurem.“¹⁷⁾ Neque, cum hominis naturam debilem atque infirmam putet, homini summam virtutem appetendam esse censet, fieri enim nullo modo posse, ut quis summam perfectamque adsequatur virtutem; virtutem autem humanam summamque sapientiam idem esse contendit atque vitia fugere et stul-

¹⁵⁾ Epp. I, 14, 10:

„Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum.“

Ibidem v. 16:

„Me constare mihi scis et discedere tristem.,

Quandocunque trahunt invisa negotia Romani. Müller l. l. pag. 59 60.

¹⁶⁾ Epp. I, 18, 112.

¹⁷⁾ Epp. I, 1, 39.

titia caruisse.¹⁸⁾ Quodsi tam humane humanas res iudicavit poeta, neque eam semper sapientiam interpretatus est, ut ait Cicero,¹⁹⁾ quam adhuc mortalis nemo est consecutus, sed eam, quae est in usu vitaeque communi, non mirabimur, quod vita erroresque hominum ineptias et nugas appellat, errantes vero stolidos et ineptos, quod vitia sceleraque deridet, non castigat, quod virtutis atque honestatis studium non severo praecipientis vultu, sed ludo aliquo amabili commendatur.²⁰⁾ Qua humanitate usus est poeta in hominum vitiis perstringendis, eandem in vita privata prae se tulit, imprimis in servos, quorum non solum edacitati, verum etiam lasciviae et petulantiae saepius indulgit.²¹⁾ Quare insanum inter sanos vocat :

„Si quis eum servum, patinam qui tollere iussus,

„Semesos pisces tepidumquae ligurierit ius,

„In cruce suffigat,“

In rebus divinis poeta tum licentius liberiusque videtur iudicare, tum deorum fidelissimum cultorem putares, tum denique tam anili superstitione imbutus atque obligatus apparet, ut cum muliere humillima certare posse videatur.²²⁾ Quamquam summa fit Horatio iniuria, quod a nonnullis simulationis accusatur, qui, quod tum poeta „parcum se deorum cultorem et infrequentem“ profiteatur, tum nullam divinarum rerum rationem habet, inde profectum esse arbitrantur, quod Augusto placere cuperet, qui tum maxime id ageret, ut deorum cultum antiquum revocaret. At nulla subest causa,

¹⁸⁾ Epp. I, 1, 41. Quod humanum de humana natura iudicium Horatius procul dubio Graecis debuit. Cf. Cic. de off. I, 15, 46. „Quoniam autem vivitur non cum perfectis hominibus planeque sapientibus sed cum iis, in quibus praeclare agitur, si sunt simulacra virtutis, etiam hoc intellegendum puto, neminem omnino esse neglegendum, in quo aliqua significatio virtutis appareat, colendum autem esse ita quemque maxime, ut quisque maxime virtutibus his lenioribus erit ornatus: modestia, temperantia, iustitia.“ Kayssler: Ueber den Tugendbegriff des Horaz. Progr. Oppeln 1855. pag. 15 sqq.

¹⁹⁾ Laelius V, 18, 20.

²⁰⁾ L. G. König: de Satira Romana eiusque auctoribus praecipuis. Oldenburgi 1796 p. 29.

²¹⁾ Müller l. l. p. 44.

²²⁾ Müller l. l. p. 8.

cur verbis Horatii veritatem denegemus poetamque turpis simulationis potius quam insitae inconstantiae accusemus.

Id tamen pro certo haberi potest, poetam ut unumquemque hominem Romanum deorum cultum ideo potissimum magni aestimasse duceret. Quae res inde imprimis perspicui potest, quod deorum potestatem haud ita magnam esse arbitratur quodque Jovem principem coeli, Augustum principem orbis terrarum fuisse contendit. Vera sinceraque pietate poetam imbutum fuisse haud mihi per-uaserim.²³⁾ In satiris certe nusquam animus ille deorum metuens, qui a multis praedicatur minime perspicitur, ut in satira I, 20. ubi haec de Jove εἰρωνικῶς dicta legis.

„Quid causae est, merito quin illis Juppiter ambas

„Iratu buccas inflet neque se fore posthac

„Tam facilem dicat, votis ut praebeat aurem ?

Juvenalis perraro sui mentionem facit, nunquam nomen aut cognomen suum appellavit, haud ita saepe in satira dramatica utitur ratione, quod si interdum fit, alios loquentes facit, sibi nulla aut certe mimima sermonis parte reservata. Quod enim in sat. XI, 56. notato infelici decoctorum exitu suum describit vivendi morem parcum ac modicum, potius in univsum sumi, quam ad poetam ipsum strictim videtur posse referri. Quoniam igitur quae de natura ac moribus Juvenalis accipimus, ex satiris ipsis profecta sunt, neque ulla certa auctoritate niti videntur, ex satiris ipsis naturam vitaeque praecepta, quae sibi poeta posuit, eruere conabimur. Ut Horatius, ita etiam Juvenalis liberti filius fuit, utque ille sat. I, 6. sic etiam hic in sat. VIII. praeclare docuit, veram nobilitatem non veteri prosapia et multis imaginibus, sed virtutibus magnisque in rempublicam meritis contineri. Quamquam identidem exempla illa veterum nobiliumque virorum imitanda proponuntur, nihilominus tamen virtutem „solam atque unicam nobilitatem“ appellat VIII, 20 sqq. Ut enim Romanorum antiqua virtus, morum simplicitas, disciplina, exemplis dignis collustretur, saepius nominantur a poeta Fabii, Curii, alii eorumque virtutes cum depravatis moribus suae aetatis

²³⁾ Munding: Ueber die Satiren des Juvenal in religiöser und sittlicher Bedeutung: Programm des kgl. Gymnasiums in Rottweil 1864—65 pag. 2.

conferuntur.²⁴⁾ Poeta ipse nobili genere nati hominis gloriam nunquam appetit, sed Romanum se esse occasione data cum superbia quadam atque iactantia gloriatur, omnes barbaros peregrinosque, quamvis divitiis adfluentes prae se contemnit, ut III, 81.:

. me prior ille,
signabit fultusque toro meliore recumbet
advectus Romam, quo pruna et cottona vento?
usque adeo nihil est, quod nostra infantia caelum
hausit Aventini, bacca nutrita Sabina?

aut in satira I, 130.

ausus habere

nescio quis titulos Aegyptius atque Arabarches
cuius ad effigiem non tantum meiere fas est.²⁵⁾

Qua in re poeta in Horatio exemplar ad imitandum dignissimum habuit. Namque etiam Horatius Romanum se esse identidem cum laude quadam prae se fert et ipse Romanorum candidam morum simplicitatem, alienam ab illa calumniandi cupidine „illo nigrae succo loliginis“ opponit mori minime Romano illorum, qui „lucelli causa captant risus hominum famamque dicacium, fingere qui non visa possunt, commissa nequeunt tacere“. Saepissime Juvenali morum integritas denegabatur idcirco potissimum, quod Martiale, epigrammatum scriptore, viro levissimo, familiarissime uteretur, quodque Martialis in epigrammate VI, 23. ad nostrum poetam misso, obscœna quaedam tangeret. At vero, si Martialis, homo minime pudicus de se ipso praedicare potest „obscoenam sibi esse paginam, vitam probam“ tuo iure idem de Juvenale contendere potes.²⁶⁾ Morum honestas eodem fere modo ab Juvenale aestimatur atque ab Horatio. Ut enim poeta Venusinus „aequum esse putat iuvenes in lupanaria descendere, non alienas permolere uxores“ (sat. I, 2, 36.) ita

²⁴⁾ II, 153. VIII, 13. VIII, 264.

²⁵⁾ Friedländer Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms in der Zeit von August bis zum Ausgang der Antonine. Leipzig 1862 I. Bd. p. 167.

²⁶⁾ Teuffel: Studien und Charakteristiken zur griechischen und römischen sowie zur deutschen Literaturgeschichte Leipzig 1871. p. 417. sqq. A. Th. Christ. Ueber die Art und Tendenz der Juvenalischen Personenkritik. Neunter Jahresbericht des Gymnasiums zu Landskron in Böhmen 1880—81. pag. 23.

Juvenalis quoque in satira II. castigat quidem „tristia obscoena“ perstringit turpia, non tamen id pessimum facinus esse existimat, non tam gravem morbum, cui praesenti medela opus sit, Gracchus vero, Catulus, Fabius alii nobili loco orti, in scaenam descendentes, gladiatorum munere functi, omnem dignitatem exuere atque ad bestiarum naturam poetae accedere videntur.²⁷⁾ Quod poeta ad materiam obscoenam tractandam accessit, quodque sermone interdum parum urbano usus est, inde nullo modo de moribus eius certi quicquam colligi potest. Quamquam negari vix potest, lectorem satirarum Juvenalis, quacumque satira lecta taedio quodam et fastidio interdum affici, quae enim poeta inducit, tam nuda procedunt, tam atris coloribus sunt inducta, ut nonnunquam in mentem veniat, tantam morum depravationem, tantam naturae humanae perversitatem a poeta et a poeseos dignitate procul abesse debere, neque unquam huiusmodi materiam deligere poetam fas esse.²⁸⁾ Formam satirae humilem ex humili argumento atque materia profectam esse neque semper ad argumenti naturam satis accommodatam esse, ipse poeta videtur sensisse, quare sese excusat cum in prima satira, tum in satira sexta (633), ubi haec leguntur :

„Fingimus haec altum satira sumente cothurnum

„Scilicet et finem egressi legemque priorum

„Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu

„Montibus ignotum Rutulis caeloque Latino ?

At contra in eisdem satiris, quarum obscoenitatibus tam multorum animi offenduntur, insunt multa, ex quibus animus poetae, sibi constans, honesti rectique amantissimus, optimisque artibus insignis perspicitur. Itaque in sat. X, 300—304. „sancti mores castumque ingenium“ gratissimum numinis donum appellantur, vitae simplicitas semper et ubique ardentem commendatur feliciorum esse eum poeta contendit, qui nil cuperet, quam, qui totum sibi posceret orbem cum aliis permultis satirarum locis tum imprimis in satira XIV, 312—313., requiruntur tempora, quibus „fictilibus coenare non puduit“

²⁷⁾ D. Doetsch : Juvenal. Ein Sittenrichter seiner Zeit. Ein Beitrag zur Sittengeschichte Roms unter den Kaisern nach den Satiren des Dichters zusammengestellt. Leipzig 1874. pag. 3.

²⁸⁾ Doetsch II. pag. 2.

Romani vero cives contenti erant „veneto duroque cucullo“ (III, 168—170.) Qui deinde diligentius perlegerit, quam vere conscientiae angor cruciatusque a poeta adumbretur (XIII, 191—198.), qui praecepta meminerit, quomodo animos pueriles instituendos esse arbitretur, (sat. XIV) qui a poeta clementiam venustissimis verbis commendatam audiverit, fieri non potest, quin concedat, auctorem ipsum idem animo sensisse atque locutum esse.²⁹⁾ Ut ab Horatio, ita ab Juvenale acerbissimo sale perfricantur, qui alia sentiunt, alia loquuntur, cumque de hominibus fallacibus morumque sanctitatem simulantibus loquitur, vehementia vel maxima et ardore summo in eos invehitur, ut in sat. II, 1, sqq:

„Ultra Sauromatas fugere hinc libet et glaciam

„Oceanum, quotiens aliquid de moribus audent,

„Qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt.“

Fuisse Juvenalem ingenio humano neque raro suscipere intimum dolorem ex hominum calamitate, indicio sunt, quae in satira XV, 131. leguntur:

. mollissima corda

humano generi dare se natura fatetur,

quae lacrimas dedit, haec nostri pars optima sensus.“

Quare aequum censet, dolore hominem affici „cum funus adultae virginis occurrit, vel terra clauditur infans et melior igne rogi“³⁰⁾ Amore homines coniunctos esse omnes debere arbitratur, amore enim effici posse credit, ut homines inter se defendant, signo dato una in proelium proficiscantur, amore eodem prohiberi posse, quominus ulciscendi cupiditas hominum animos invadat, quippe quae homine prorsus indigna sit.

Quid Juvenalis de rebus divinis iudicaverit, difficile est dictu. Quod enim in satira VII, 194. hominis fortunam ex ea re pendere existimat, „quae eum sidera excipiant, modo primos incipientem edere vagitus et adhuc a matre rubentem“, ironice procul dubio dixit poeta neque inde ullo modo colligi potest, poetam aliqua superstitione obstrictum aut astrologiae praecepta fuisse secutum. In eadem satira v. 189. exempla „novorum fatorum“ apponit, quae felicem „pulchrum et acrem et sapientem et nobilem et generosum“

²⁹⁾ Doetsch l. l. p. 4.

³⁰⁾ Munding l. l. pag. 12.

reddant. In satira vero XV, 148. diserte ostendit „hoc mortales a grege mutorum separare, quod soli venerabile ingenium sortiti divinarum rerum sint capaces atque exercendis capiendisque artibus apti sensum a caelesti demissum traxerint arce“. In eadem quidem satira XV, 148. sermo est de „communi conditore“ sed antepaucos versus: XV, 131. „naturam humano generi dedisse mollissima corda“ credit. Unde efficitur, ut Juvenalis perinde atque Horatius in rebus divinis sibi nunquam constitisse singulisque vitae temporibus varie de diis eorumque cultu indicasse putandus sit.³¹⁾ Quin etiam Juvenalis interdum ea indignatione erga deos hominesque abripitur, ut deorum cultum deosque ipsos penitus non agnoscat. Qui enim fieri posse, ut sint dii omnipotentes, si in hominum rebus auctoritas eorum nusquam conspiciatur? Quare saepius salibus amaris acerbisque facetiis deos resque deorum commemorat, ut in satira secunda (149.)

„Esse aliquos manes et subterranea regna
„Cocytum et Stygio ranas in gurgite nigras,
„Atque una transire vadum tot milia cumba
„Nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lavantur“

Animus deorum reverentia minime imbutus cernitur ex sat. VI, 394. ubi poeta his verbis Janum patrem, deorum antiquissimum, alloquitur:

„Dic mihi nunc, quaeso, dic antiquissime divum
„Respondes his, Jane pater? magna otia caeli;
„Non est, quod video, non est, quod agatur apud vos!³²⁾

Quamquam similia etiam apud Horatium facile reperiuntur, ut in sat. I, 5. 100:

„. Credat Judaeus Apella,
„Non ego; namque deos didici securum agere aevum
„Nec si quid miri faciat natura, deos id
„Tristes ex alto caeli demittere tecto.“³³⁾

Horatium et Juvenalem in mythis, a Graecis Romam inlatis

³¹⁾ Munding l. l. pag. 6.

³²⁾ Cf. III, 265. XIII, 40, 113. III, 67. II, 136. Dootsch l. l. pag. 6. adn. 2. — Munding. l. l. pag. 6.

³³⁾ S. Cf. satira I, 8. Ovidius in epistula ad Sextum Pompeium v. 17. Da mihi, si quid ea est, hebetantem pectora Lethen.

aestimandis non semper satis accurata usos esse reverentia, non est quod miremur. Namque omnes fere Romani illius aetatis disciplina artibusque perpoliti „superstitiones“ aspernabantur, mythos fabulasque de diis et deabus vulgo tantum imperito dignos putabant. Itaque iam Livius I, 19. „deorum metum“ rem esse censet „ad multitudinem imperitam et rudem efficacissimam“. Quam ob rem non video, quare nonnulli viri docti Horatii erga deos pietatem cum in aliis locis, tum in satira II, 5, 59. frustra servare conentur. Tiresias enim vates hoc loco, postquam Ulixi multa vitae praecepta dedit, „quibus amissas queat reparare res artibus atque modis“ quaerenti eidem, num vera sint, quae sibi pronuntiaverit, respondet:

„O Laertiade, quicquid dicam, aut erit, aut non:

„Divinare etenim magnus mihi donat Apollo!“

Rectam interpretandi huius loci viam ingressus est iam Schol. Cruq, qui ad hunc locum hanc adnotationem adicit: „Locatur in antiqua responsa vatum irridens Apollinem satirico more,“ itaque intellexisse Boethium, perspicui potest ex Consol. V. 3. „Quae haec est praescientia, quae nihil certum, nihil stabile comprehendit aut quid hoc differt vaticinio illo ridiculo Tiresiae: „„Quicquid dicam, aut erit, aut non?““ Nimis quaesita videtur huius loci interpretatio, quam Fritzschius proponit: „der Spott auf die Weissagekunst ist schon deshalb nicht anzunehmen, weil das nun folgende vaticinium V. 63, sqq ein Elogium des Augustus voller Ernst und Ehrerbietung enthält.“ At enim Augustus, puto, ea quidem mentione neque honoratur, neque offenditur, nihil enim ad rem spectat totum, quod Fritzschio videtur elogium, tempus tantum designat poeta, utque in iocoso sermone perseveret, voce magna pronuntiat, rem magni scilicet momenti futuram.

§. 3.

Quanam re compulsus sit uterque poeta ad satiras conscribendas?

Quid sibi velint verba Horatii in Epp. II. 2, 51: paupertas impulit audax, ut versus facerem“ varii varie trahunt. Ex variis de

ea re opinionibus, hae potissimum sunt observandae: una Kirchneri³⁴⁾ et Frankii³⁵⁾, qua „Horatius acerbissima eaque fatali calamitate pressus iactura dignitatis, libertatis reiue familiaris ad satiras componendas impulsus esse affirmatur, altera Dillenburgeri, Fritzschi aliorum, qui voces illas non ad satiras ipsas referendas esse statuunt, sed ad versiculos quosdam, de quibus Suetonius in vita Horatii³⁶⁾ haec tradit: „venerunt in manus meas et elegi sub titulo eius (scil. Horatii) quique ex alio loco Horatiano sat. I, 4, 105. originem satirae deducant, ubi haec leguntur:

„ insuevit pater optimus haec me,
„Ut fugerem exemplis vitiorum quaeque notando

A patre igitur suo poeta ita se esse institutum profitetur, ut, quid honestum esset, quid turpe, vita magis et exemplis, quam libris et doctrina cognoverit, idque primum fuisse incitamentum ad satiras componendas. Athenas deinde profectus sapientiae doctoribus audiendis planius ac melius didicit, quomodo „curvo dinosci posset rectum.“ Ad quae cum accessisset insitum quoddam hominum facinora contemplandi iudicandique, ingenium quid mirum, quod pravas suae aetatis cupiditates, perditos ac perversoscivium mores contemplatus ad vitia sceleraque perstringenda sese accinxit, ut et suos et alieus mores notando emendaret et excoleret³⁷⁾ Ad quam interpretandi rationem proxime accedit, quam Estré³⁸⁾ proponit. Vocem enim „audax“ cum vocabulo facerem „iungendam esse censet ita, ut comma quod eam sequitur, post vocabulum „impulit“ interponendum sit, utque haec loci interpretatio existat: „paupertas me impulit, paupertas causa fuit, ut audax versus facerem, securus reprehensionum, conviciorum, simultatumque, quae mihi inde oritura essent.“ Num huic loco ea quoque sententia subsit, poetam ad satiras conscribendas ideo accessisse, ut apud librarios quaestum faceret, ut favorem principum civitatis sibi conciliaret, incertum est.³⁹⁾ Haec enim ratio

³⁴⁾ Quaest. Horat. Naumb. 1834. p. 17.

³⁵⁾ Fasti Horat. p. 18.

³⁶⁾ Fr. Ritter: Q. Horatius Flaccus. Prolegg. p. XII.

³⁷⁾ Sat. I, 4, 134—139.

³⁸⁾ Horatiana Prosopographeia, Amstelodami 1846. pag. 282.

³⁹⁾ Zumpt: Uiber das Leben das Horaz und die Zeitfolge seiner Gedichte namentlich der Satiren (in praefat. ad editionem Horatii sat. Heindorfii — Wüstemanni Leipzig 1843. p. 10.

interpretandi neque cum loci sententia neque cum moribus atque ingenio poetae satis congruere videtur.

Juvenalis in primae satirae prima parte vv. 1—18 causas proponit, quibus compulsus ad satiras componendas accesserit, tum, quamobrem ad satiras potius, quam ad aliud poematum genus animum adverterit. Tot enim tantisque sceleribus Romam sua aetate esse obrutam, ut materies satirae nullo modo deesse possit, utque „difficile sit satiram non scribere“ et „si natura negat, faciat indignatio versum“. Sunt, qui veritatem his verbis Juvenalianis denegent atque contendunt, alias fuisse causas, quibus poeta ad satiras conscribendas sit inductus. Ita enim fere ratiocinantur: quae fuit causa quod Juvenalis aetate, qua optimi imperatores, omnibus viribus enitebantur, ut mores hominum emendarent, rempublicam auferent, satiras componere easque tam mordaces aggressus esset? Ad quae ita respondent, ut dicant, Juvenalem perinde atque Horatium „paupertate audaci“ impulsus esse ad satiras componendas, „usque ad mediam fere aetatem satiricum ideo declamasse, ut munus aliquod obtineret, quae spes cum eum fefellisset, acerba mordacitate principes adortum esse.“⁴⁰⁾ At vero nullis certis argumentis firmari potest, poetam omni re familiari destitutum fuisse, ita ut sine publico munere vitam sustentare non posset. Ex verbis satirici ipsius in sat. VI. 56—67, quidem:

„ vivat Gabiis, ut vixit in agro,
„Vivat Fidenis, et agello cedo paterno.“

colligere licet, poetam modicarum quidem facultatum fuisse, non tamen turpi pauperie pressum esse, quippe qui praedium, a patre acceptum apud Arpinum possedisse videatur.⁴¹⁾ Fuisse autem poetam ea, quam sibi sors dedit fortuna, contentum, neque maiora unquam concupivisse, apparet ex multis locis in satiris eius, quibus homines ex infimo loco „ad fastigia rerum elatos“ despicit atque contemnit.⁴²⁾ Ambitione omni prorsus poetam vacasse neque unquam vulgi plausus appetivisse, ex ea re iam perspicui potest, quod tam diu „auditor

⁴⁰⁾ Gaston Boissier: *Études de mœurs Romaines sous l'empire. Juvénal et son temps.* Revue des deux mondes t. 87. p. 141. sqq.

⁴¹⁾ C. Synnerberg. *De temporibus vitae carminumque D. Junii Juvenalis rite constituendis.* Helsingforsiae 1866. p. 50. et 54. Juv. XI, 65.

⁴²⁾ III, 38. X, 224. III, 155.

tantum fuit neque illarum recitationum viam ingressus est, qua multi et ambitiosi gloriam tunc temporis quaerebant. Qua in re Horatii similis est poeta, qui et ipse nunquam fere recitavit „nisi amicis idque coactus, non ubivis coramve quibuslibet“, qui nunquam id egit, ut „tabernae bibliopolarum aut pilae suos haberent libellos.“ Quae-
renti, quinam fieri potuerit, quod poeta, cuius vitae maxima pars in aetatem, quae aurea appellatur, incidit, tanta indignatione atque acerbitate in hominum vitia invehatur, facile erit responsum. Qui enim satiras Juvenalianas recte aestimare vult, ante omnia memoria teneat necesse est, neque per se ipsum credibile esse, mores Romanorum aetate Neronis, Domitiani inquinatos tam cito in meliores abiisse⁴³⁾ neque poetam, qui sub Domitiano tantam morum corruptelam viderit, prorsus nigros colores abicere laudesque suae aetatis canere potuisse, consentaneum esse.

§. 4.

Quomodo institutus atque praeparatus
uterque poeta satiras conscribere aggres-
sus sit?

Vera est sine dubio opinio eorum, qui satiras optimum esse opus Horatianum existiment. In satiris enim totus est Horatius, saepius profitetur „se delectare pedibus claudere verba Lucili ritu“ (sat. II, 1, 28.), in satiris ingenium Horatii, naturalis illa indoles, nativa quaedam hilaritas optime perspicitur. Antequam poeta ad satiras componendas accessit, multum laboris se impendisse et ipse contendit et ex carminibus satis dilucide patet. Nullam se enim diem intermississe confitetur, quin aliquid aut scriberet aut legeret (sat. I, 6, 122), poscere ante diem librum cum lumine alios quoque iubet, qui egregium aliquid moliuntur, (Epp. I, 2, 35), ipse ad res honestas animum intendere, studiis vacare, a primo mane usque ad vesperum nunquam destitit. (sat. II, 6, 59. II, 3, 11). Graeca imprimis literarum studia ad retinendum modum illum, quem in castigando et laudando mira quadam arte observat, nonnihil contulerunt. Praeceptum illud, quod legitur in poetae epistula ad Pisones v. 263:

⁴³⁾ Friedländer: Sittengeschichte Roms 1. 60.

„ Vos exemplaria Graeca
 „ Nocturna versate manu, versate diurna“,

poeta ipse, antequam ad satiras conscribendas sese accinxit, acerrime diligentissimeque videtur secutus esse⁴⁴⁾ Poeta omnino Graecae naturae propior videtur esse, quam Romanae, neque unquam ut Juvenalis contemptim aut mordaciter in Graecos verba iacit, immo saepius eorum dicendi agendique facilitas atque dexteritas Romanae rusticitati opponitur (Sat I, 1, 7, 32)⁴⁵⁾, Graecarum literarum studiis procul dubio factum est, ut in Horatii satiris omnia sermonis naturali filo procedant, omnia sponte quasi ex antecedentibus nasci videantur, Graecorum auctoribus legendis Horatius ad illam facilitatem in forma dramatica inveniendae dialogisque struendis pervenit. Itaque Platonis philosophi dialogi rursus proficiscentem poetam comitantur, comoedias Menandri et Eupolidis saepius relegit⁴⁶⁾. Ad singula poeseos genera singulos auctores sibi Graecos delegit poeta, quos non ideo legit et versavit, ut imitatione servili exprimeret, sed, ut ingenium promptum excoleret. In satiris comoediarum scriptores semper ante oculos habuit, in epodis Archilochum imitandum sibi delegit, in carminibus Alcaeus, Sappho, Pindarus, in epistulis denique Graeci philosophi poetae viam rationemque monstraverunt⁴⁷⁾. In omnibus denique Graecorum scriptoribus, imprimis vero poetis Horatius versatus erat. Quodsi ita est, non ex omni parte verum videtur, quod Horatius et de se ipso et de Romanis omnino gloriatur, „sensim se vestigia Graeca deserere ausos esse“, nam ipse quidem poeta „omnis a Graecis pendet“, alio certe loco (Satira, I, 10, 7—17) ostendit, a

⁴⁴⁾ Th. Arnold: Von den griechischen Studien des Horaz: Progr. der lateinischen Hauptschule zu Halle (1854—1855) p. 20.

⁴⁵⁾ Teuffel: Charakteristik des Horaz. Leipzig 1842. p. 37. „Horaz war nun zwar ein Römer, aber ohne den eigenthümlich römischen Inhalt, das römische Interesse“.

⁴⁶⁾ Sunt quidem etiam apud Horatium loci, quibus Homerus perstringi atque irrideri videatur, sed profectos eos esse ex hilaritate poetae insita, non ex ira indignationeve erga Graecos, per se liquet (Sat I, 5, 51—53. I. 7, 10—18. II, 3, 71—73. II, 3, 183—186. Cf. Wieland ad S. I, 7, 10 Arnold l. l. p. 6. Anmerkung 3.

⁴⁷⁾ Sat. I, 4, 1. sqq. Epp. I, 19, 1. sqq. S. II, 3, 11, Epp. I, 19, 23, sqq. Ep. I, 3, 10, — Arnold: Von den griechischen Studien des Horaz p. 3. Ritter, Prolegomena p. 14.

Graecis auctoribus petivisse se brevitatem sermonis, quem, „modo tristem, modo iocosum“ esse debere „defendentem vicem modo rhetoris atque poetae, interdum urbani, parentis viribus atque extenuantis eas consulto“²⁸⁾.

Non ita Juvenalis, qui acerbissimo odio in omnia, quae Graeco nomine insignita erant, flagravit, quamquam et ipsum cum ex aliis locis tum ex satirae sextae extrema parte perspicuum est, Graecarum literarum peritissimum fuisse. Sed, quoniam Graecorum artes et disciplinam ad mores Romanorum plurimum contulisse sibi persuasit, nullam occasionem praetermittit, quin Graecos perstringat et carpat. Itaque historicorum Graecorum fides saepius in dubium vocatur, ut Herodoti (VI, 86.), de Glaucō narratio acerbissimo sale derisam videmus satira XIII, 199. Huc etiam admuneranda est alia Graecorum narratio, cuius fides a poeta addubitatur, in qua salse castigatur Graecorum iactantia: narrationem dico de Xerxe rege, (X, 183) „qui compedibus vinxerat Ennosigaeum (X, 173--174)“.

. creditur olim
„velificatus Athos et quidquid Graecia mendax
„audet in historia, constratum classibus isdem
„appositumque rotis solidum mare; credimus altos
„defecisse amnes epotaque flumina Medo
„prandente et madidis cantat quae Sostratus alis.“

Saepissime praeterea Juvenalis epithetis indicat, eum de Graecis loquitur, quanto in eos odio flagret, ut in sat. X, 174: Graecia mendax, XIV, 240: si Graecia vera, multaque alia. Interdum maiore etiam satirae parte fraudem dolosque Graecorum perstringit, ut in sat. III, 58 sqq.

„Quae nunc divitibus gens acceptissima nostris,
„Et quos praecipue fugiam, properabo fateri,
„Nec pudor obstabit. Non possum ferre Quirites;
„Graecam urbem; quamvis quota portio faecis Achaei?

Indignatur in eadem satira poeta, Graecos „ingenio veloci, audacia perdita, sermone prompto“ ad summos ascendisse honores, omni munere Graeculum esurientem fungi audere, namque:

²⁸⁾ Feldbausch: Zur Erklärung des Horaz. Einleitungen in die einzelnen Gedichte nebst erklärendem Register der Eigennamen II. Bd. Heidelberg 1853 pag. 6.

„ quemvis hominem secum attulit ad nos ;
„Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,
„Augur, schoenobates, medicus, magus ; omnia novit
„Graeculus esuriens ; in caelum, iusseris, ibit.“ III, 75. sqq.

Neque pluris quam historici Graecorum philosophi ab Juvenale aestimantur : III, 114. III, 229, ubi satirico modo Pythagoreorum cena commemoratur⁴⁹). Miratur Ribbeckius⁵⁰), quod in satira septima, quamquam res atque conditio omnium hominum literatorum enarretur, philosophorum tantum nulla fiat mentio, quare fieri potuisse arbitratur, quod iam Reifferscheidius suspicatus erat, ut tractatio illa de philosophis post satiram VII, 104. excideret. Contra quae monendum est, poetam studio philosophiae, imprimis vero Graecae, nunquam multa tribuisse, neque hominem Romanum in philosophia versari, aequum putasse, quare haud mirum videtur, quod de rebus philosophorum Romanorum nihil attigit, praesertim cum philosophiam tunc temporis Graeci fere tantum colerent, quid autem de Graecis iudicaret, saepissime iam aliis locis ostendisset. Odium illud erga Graecos, quod Juvenalis occasione data prae se fert, facile explicari potest. Communis enim fuit haec querela omnium Romanorum, a quibus antiqua morum integritas summa virtus putabatur, iam ab iis temporibus, quae Ciceronis aetatem antecesserant, disciplinam moresque Romanorum Graecarum doctrinarum, subtilitate morumque pravitate et mollitia fuisse corruptos. Quae fuit origo atque fons illius in Graecam nationem odii, quo nonnulli adeo exarserant, ut litteras quoque et sapientiae studium, utpote a Graecis profectum, contemnerent. Querelas illas atque odium in Graecos haud sane iusta esse consentaneum est, manasse enim videntur ex illa hominum levitate, quae nos nostra vitia potius ab alio fonte requirere, quam a nobis ipsis repetere iubet⁵¹).

⁴⁹) Huc addendi sunt loci : VI, 16. X, 174. XIV, 240. XIV, 89. VI, 185. VII, 226. XI, 100 et quos affert Bernhardus Lupus : *Vindiciae Juvenalia-nae*. Bonnae p. 45.

⁵⁰) *Der echte und der unechte Juvenal. Eine kritische Untersuchung*. Berlin 1865.

⁵¹) Ihne : *Römische Geschichte* IV. Bd. Leipzig 1876. p. 181. Drumann I. I. p. 265.

§. 5.

De satirae argumento ab Horatio et Juvenale delecto.

Horatii vita in tempora incidit, quibus rei publicae tot bellis civilibus vexatae atque exagitatae quies restituta est. Vita forensis penitus iam evanuit, penes unum regnum et summa potestas fuit. Quare factum est, ut satirae Horatianae argumentum in vita privata acquiescat; non id agit poeta, ut omnia commutet novumque rerum ordinem constituat — nam id insani erat —, sed ut hominum stultitiam ostendat, utque eos ad vitandum, quod malum, ad agendum, quod bonum impellat atque excitet.⁵²⁾ Itaque partim iocosa, partim severa ratione castigat atque reprehendit inconstantiam hominum, qui sortem a natura sibi destinata contempnant, laudent alienam, sale acerbo perfricat moechorum insaniam atque perversitatem, deinde stultitiam eorum, qui sua vitia non videntes, alios maligne vituperent, tum describuntur insanarum mulierum magicae artes, incredibilis cibi ac potus intemperantia, nequitia eorum, qui sua vitia dissimulantes, Stoicorum severitatem adfectent, dein avaritia haeredipetarum, qui pessimis artibus in locupletum testamenta irreperere conentur, praeclare ostenditur, quibus finibus circumscripta esse debeant hominum vota, qui felicem vitam agere velint, quibusque rebus vita beata comparari possit. Saepe tamen in satiris Horatius non singula vitia castigat, sed se ipsum a criminibus sibi obiectis excusat, sed tamen in eiusmodi quoque excusatione saepenumero occasio ei datur, inimicos vellicandi, dumque vitia sua profiteri et diluere videtur, turpissimis maculis eos conspergit, qui suis vitiis neglectis aliorum iudices esse cupiant. Ex iis, quae de argumento Horatianae satirae apposimus, perspicue elucet, depingi in ea hominum perversitates cuiusvis generis: quare non ex omni parte iustum videtur, quod Roth⁵³⁾ de satiris epistulisque Horatianis contendit: „in satiris Horatium hominem Romanum esse, omnia enim ibi ad Romanae gentis indolem et instituta referri; in epistulis vero Romanam illam proprietatem abolescere quodammodo hominumque potius, quam Romanorum mores et ingenium depingi.“

⁵²⁾ Roth. de sat. pag. 15.

⁵³⁾ l. l. p. 11. et Bolia l. l. p. 14.

Juvenalis in plurimis satiris eandem ferme materiam sibi delegit atque Horatius, ut enim hic perstringit ille quoque salse philosophorum stultitiam ac perversitatem prae se ferentium. Romae urbis incommoda dum enarrat, multa tangit et castigat vitia hominum perditorum; quemadmodum Horatius Nasidieni, ita Juvenalis Crispini pravam arrogantiam perditissimamque luxuriam castigat, qui ex servis divites facti omnibus pessimis artibus excelleret; dum pauperum clientum miseram abiectamque conditionem describit, invehitur etiam in patronorum divitum sordidam avaritiam atque impudentiam. In satira sexta, omnium amplissima, exprimitur vividioribus coloribus perditum ingenium et mores mulierum illius aetatis, describitur incredibilis morum corruptela muliebris sexus, eo numero, quo neque adhuc, neque post illum descripta est. Qua in re multum ab Horatio Juvenaliana satira discedit, qui nunquam ea acerbitate in mulieres invectus est. Juvenalem cum voluptate quadam in enarrando perstringendisque vitiis mulierum versatum esse apparet, cum ex ipsa satirae dispositione — est enim amplissima satira omnium, quas Juvenalis scripsit et continet 661 versus — tum ex ea re, quod ne minima quidem stultitia vitiove mulierum praetermissis, nullam earum virtutem adiecit, immo diserte pronuntiat, Alcestin, mulierem pudicam, virtutis plenam, uxorem matremque bonam sibi omnino notam non esse. Neque ea satira contentus occasione data mulieres eorumque vitia summa cum delectatione castigat, atque reprehendit.⁵⁴⁾ Quod eximium in mulieres odium apud nonnullos, cum causam huius rei quaererent, suspicionem movit, fuisse poetam aut tam perditis moribus, ut obscoenitatibus cuiusvis generis delectaretur aut a mulieribus tantas ei iniurias illatas esse, ut hoc saltem modo iniuriam ulcisci cuperet. Utrum verum sit, in incerto manebit. Equidem hoc alterum pro vero accipere maluerim, cum mihi nullo modo persuadere possim, poetam, qui in summis obscoenitatibus describendis id, quod honestum est, semper animadvertat omneque scelus cum honesta quadam indignatione perhorrescat, ipsum moribus depravatis fuisse. Verum Horatius mulierum depravatos mores non tam saepe persrinxit, quam Juvenalis, non quo mulieres illius aetatis meliores essent, sed quia Graecorum consuetudini vitaeque propior

⁵⁴⁾ I. 22, 69. X, 321. XI, 168 Doetsch p. 8

liberiores mulierum mores non adeo reprehendendas esse duxit; at contra Iuvenalis vitam domesticam ante omnia magni aestimandam esse arbitratur maximaque cum delectatione illa tempora recordatur, quibus castitas fidesque mulierum in summo erant honore, quibus, dum pater familias fratresque glebulam colebant, in casa humili „foeta iacebat uxor et infantes ludebant quattuor,“ quibus „humilis fortuna Latinas castas praestabat, nec vitiis contingi parva sinebant tecta, labor somnique breves et vellere Tusco vexatae duraeque manus“ (VI 286 sqq.) Poetae illa tempora desideranti haudquamquam placere poterat Eppia illa, quae „nupta senatori comitata est ludium ad Pharon et Nilum farmosaque moenia Lagi“ (VI, 82 sqq.), neque Messalina, imperatoris uxor, quae:

„ausa Palatino tegetem praeferre cubili
„sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos
„linquebat comite ancilla non amplius una,
„et nigrum flavo crinem abscondente galero
„intravit calidum veteri centone lupanar
„et cellam vacuam atque suam.“ (VI, 117 sqq.)

Poetam in describendis moribus mulierum instum non excessisse modum neque veritatem egressum esse, documento sunt permulti loci apud rerum illorum temporum scriptores, qui non modo eadem referunt atque Iuvenalis, verum etiam multa adiungunt, quae vix verisimilia videntur.

Quam vero vetus fuerit odium in mulieres „genusimpotens, garrulum, invidum“ indicio sunt, quae in scriptis Catonis Maioris leguntur ubi Cato ipse: „Si mulieribus, inquit, careremus minus impia esset nostra vita.“⁵⁵⁾

Uterque igitur poeta in ea re potissimum consentit, quod vitiavera, non ficta, non inania castigat, neque quisquam Horatio ridiculus videtur, quod:

„rusticius tonso toga defluit et male laxus
„in pede calceus haeret

neque Iuvenali praebet materiam causasque iocorum, si cui

„foeda (est) et scissa lacerna
„si toga sordidula est et rupta calceus alter
„pelle patet, vel si consuto vulnere crassum
„atque recens linum ostendit non una cicatrix

⁵⁵⁾ Mommsen: Römische Geschichte (VII. Auflage) p. 879.

§. 6.

Quid intersit inter satiram Horatianam et Juvenalianam in singulis vitiis eastigandis?

Tres Romanorum satirici triplex satirae genus repraesentant : urbanum, facetum, iocosum Horatius ; triste et severum Persius ; mixtum quodammodo, sed tamen Horatio propius, quam Persio Juvenalis. Attamen multa sunt, quibus Juvenalis ab Horatio differat : cuius rei causam a temporum ingeniorum, studiorum diversitate repetendam esse iam supra demonstrare conati sumus. Quare multo aliam faciem cultumque satirae Augusto regnante nasci necesse erat, aliam Nerone, Domitiano ; aliam ab homine Graecorum studiis perpolito, aliam a viro, quamvis Graecarum literarum haud imperito, tamen prae Romanorum studiis omnia despiciente atque usque ad mediam fere aetatem declamatorio studio dedito, aliam ab Horatio, qui multorum et principum virorum familiaritate intima usus, non modo omnibus vitae quotidianae curis vacaret, verum etiam in affluentia possideret, unde commode vivere posset, aliam ab Juvenale, qui, quamvis non sine facultatibus esset, tamen ab aequalibus non aequè honoratus atque forsitan meritis esset et voluisset, pestilenti mordacitati indulgere naturae quadam necessitate cogeretur. Utrum Horatius an Juvenalis ingenio praestantior fuerit, difficile est dictu : quoad ex satiris, quas reliquit, perspicui potest, Juvenalis usus est ingenio satis felici, sed in declamandi consuetudine plus iusto exercitato, neque, ut par erat, disciplinis, quae satirico necessariae erant, imbuto : quae autem virtutes Juvenali deerant, Horatium egregie adiuvabant. Quo factum est, ut nonnulli lectioni Venusinae nimis adsueti ad satirici carminis normam et regulas ex Horatio sumptas reliquos exigentes multa invenerint in Juvenale „quae reprehendere aut tollere possis.“

Roth in disputatione saepius iam laudata, pag 7. haec edisseruit : „novae satirae hoc est proprium, ut ad poesin didacticam tota referatur et in illa materia consistat, quae eiusmodi est, ut seculi mores ab institutis patriis descivisse arguantur.“ Cuius enuntiatum pars posterior nescio an tota ad Horatium bene referri possit. Saepissime quidem Horatius veteris virtutis Reguli, Scauri, Pauli, Fabricii, Curii mentionem facit, quorum mores domi militiaeque honestissimi fuerunt,

quorum iustitia fortitudineque eximia opes civitatis nitebantur, neque quisquam rerum Romanarum scriptor melius ac planius illam severam virtutem honestatemque depinxit, quam Horatius. Nihilo tamen secius magna illa atque toties celebrata veterum Romanorum virtus, quae severitate quidem atque fortitudine fulgebat, eadem tamen superbia iniustitiaque haud sane vacua erat, Horatio placere non potuit, quippe qui magis magisque sese ad illam Graecam humanitatem, omni asperitate liberam, inclinaret.⁵⁶⁾ Quare virtus Horatiana, quam in satiris commendat, non ea est, quam adipisci homo nequeat, sed est, ut ita dicam, humana virtus, hominis naturae optime accommodata, „virtus (ait Horatius Epp. I. 18. 19.) est medium vitiorum et utrimque reductum,“ qui vitia vitandi artem nondum assecutus est, stulti nomen meretur, qui vitia fugit, stultitia caruit, sapiens bonusque factus felicem vitam agit. Quapropter nihil est, quod mireris, a poeta scelera, vitia, peccata, stultitiam, lusum puerilem, nugae vocari. Homines peccantes, a iusta rectaque via discedentes alia etiam, de causa non malos sed stultos appellat. Namque „ipsam utilitatem iusti prope matrem et aequi“ esse sibi persuasit (sat. I. 9. 8.) quo factum est, ut, quidquid ab utilitate recederet, stultitiae nomine a poeta notaretur, ut sat. II, 3, 247. de amantium cruciatibus haec loquitur:

„Aedificare casas, plostello adiungere mures,
 „Ludere par impar, equitare in harundine longa
 „Si quem delectet barbatum, amentia verset,
 „Si puerilius his ratio esse evincet amare,
 „Nec quicquam differe, utrumme in pulvere trimus
 „Quale prius, ludas opus, an meretricis amore
 „Sollicitus plores, quaero, faciasne quod olim
 „Mutatus Polemon?

Horatii et Augusti aetate multa quidem erant quae flagellum satirici mererentur, et tamen nusquam fere apud Horatium indignationem aut stomachum vides. Neque enim Horatius amore amicitiaeque aequalium sese privare cupit et quamquam seculum

⁵⁶⁾ Neque Horatium primum de antiqua illa virtute ita iudicare, documento sunt verba Cic. in orat. p. Caelio 17,40: „Verum haec genera virtutum non solum in moribus nostris, sed vix iam in libris reperiuntur. Chartae quoque, quae illam pristinam severitatem continebant, obsoleverunt.“

sum ab institutis maiorum praeceptisque longe recessisse videt, non tamen idcirco omnes pernicie dignos existimat: et ipse enim sentit, iisdem se vitiis obrutum esse atque aequales, maior est denique Horatii hilaritas animi, quam quae eum a iusto reprehendendi modo abducere patiatur. Ut vero castigationes leniret, mira cum urbanitate iterum atque iterum repetit „se ipsum venia aliorum egere atque cupere, ut sibi „dulces ignoscant, si quid peccarit stultus, amici“ Propensum se fuisse ad amores, minime negat cum in satira, qua in moechos insurgit, tum in ea, qua iter Brundisinum tam facete descripsit, (I. 5. 82.) diserte profitetur „se Brundisi stultissimum usque ad mediam noctem mendacem puellam exspectasse, somno tamen ablatum esse intentum Veneri.⁵⁷⁾ Ne corporis quidem vitia praetermittit, satirae enim I, 7, 3. lippi perstringuntur, lippum autem fuisse poetam inter omnes constat, I. 3. 19. vitiis se urgeri, diserte profitetur:

„ Nunc aliquis dicat mihi: Quid tu?

„Nullane habes vitia? Immo alia et fortasse minora.“

Sed vitia sua mediocria suamque naturam paucis mendosam vitiis, alioquin rectam appellat, neque enim avaritiam neque sordes nec mala lustra sibi recte obici posse putat, atque idcirco ad aliena peccata castiganda iure se accedere posse contendit. Hominum igitur vitia, peccata, errores irridentur ab Horatio salse, facete, urbane, nec deplorantur neque cum ira aut acerba cum indignatione impugnantur. Nullo fere loco poeta arrogantiae, aut superbiae merito accusari potest, alienissimus est ab illa fucata et simulata modestia, qua nostra aetas laborat, verum denique potius summa cum libertate, quam lenociniis falsis dicta sua ornare cupit. Humanas res humanis cum intueretur oculis poeta, haec sibi persuasit: ad vitam beatam omnes homines contendere, sed ab aliis alias deligi vias: unde fieri solere, ut non omnes ad finem perveniant exspectatum. Sapientiae praeceptis non omnes duci atque regi saepissimeque in perniciem tamquam caecos ruere neque ullis adhortationibus permoveri posse, ut rectam

⁵⁷⁾ Morem illum se ipsum carpenti Graecis poeta videtur debere. Cf. Plut. Symp.: II, 1, 8, qui idem a comicis poetis observatum esse docet: καὶ τῶν κωμικῶν ἔνιοι τὴν πικρίαν ἀφαιρῆν δοκοῦσι τῷ σκώπτειν ἑαυτοὺς, ὡς Ἀριστοφάνης εἰς τὴν φαλακρότητα καὶ τὴν οἴνου δίψην Κρατίνοσ τὴν Πυτίνην δίδαξαν. Arnold l. l. pag. 39.

ingrediantur viam, quae sit via virtutis.⁵³⁾ Eam esse naturam hominum, quae haud ita facile ad rectam deducatur viam, propter levitatem quandam insitam, sin autem calamitate quadam quis oppressus ad sapientiae praecepta reverti cupiat, remoto periculo ad vetera libentissime recurrat vitia.⁵⁴⁾ Neque id pravitate quadam ductos homines committere poeta contendit, sed cum rectam ignorent viam, „dum vitant stulti vitia, in contraria currere“, permulta vitia inde originem suam ducere, quod nemo fere, „quid bonum, quid utile sit, quid non,“ recte noverit, quodque omnes „mala stultitia inscitiaeque veri tamquam caeci agantur“ (sat. I, 24. II, 3, 43.) alios denique viam quidem virtutis unicam viam agnoscere, quae ad felicitatem ducat, eandem tamen ut nimis arduam reformidare, tritam potius facilioremque ingressos neque doloribus neque admonitionibus a proposito avelli posse. In qua diversitate voluntatis factorumque haud mirum esse, quod hominis „sententia secum semper pugnet, quod nuper petierit, nunc spernat, repetat, quod nuper omiserit, aestuet et vitae disconveniat ordine toto, diruat aedificet, mutet quadrata rotundis (epistula I. 1. 197.) quod nemo ea, quam sibi sortem numen largitum sit, satis contentus vivat semperque laudet diversa sequentes.“ (sat. I, 1, 108.) Sed tamen, quamquam Horatius naturam humanam tam infirmam, tamque debilem esse arbitratur, ut semper rectum cursum tenere neque unquam a virtutis via deflectere ei perdifficile sit, posse tamen hominem vel maximis vitiis obrutum ad vitam honestam reverti nunquam desperat, modo ne desit voluntas, modo ne „pudor malus stultorum incurata ulcera celet“ Epp. I, 16, 24.

„Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
„Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
„Si modo culturae patientem commodet aurem.“

Non enim omnibus datum est summa consequi, „est quadam prodire tenus, si non datur ultra“ (Epp. I, 1, 28) sed ad opus inceptum nulla mora interposita adgrediendum est, nam „dimidium

⁵³⁾ Ne cures ea, quae stulte miraris et optas,
Discere et audire et meliori credere non vis? Epp. I, 1, 47.

⁵⁴⁾ „ tolle periculum
„Jam vaga prosiliet frenis natura remotis.

facti, qui coepit, habet, qui autem recte vivendi prorogat horam, rusticus expetit, dum defluat amnis, at ille labitur et labetur iu omne volubilis aevum (Epp. I, 2, 40.) Ex quibus omnibus adhortationibus animus spirat hominis, qui omnes humanae naturae partes penitus noverat, amici benevolentissimi, qui vitia tua sua quoque agnoscit, medici optimi, qui aegrota corporis membra non abscidenda, sed sananda censet, iudicis humanissimi, qui non ideirco iudicat, ut damnet, sed ut rectam errantibus commonstret viam⁶⁰⁾ Horatius, qua erat animi sagacitate, optime omnia per spexit, quae illa aetate Romanis deerant, bene intellexit, fieri nullo modo posse, ut antiqua redirent tempora, itaque id certe sibi proposuit, ut quae supererant, ab interitu servaret. Vitae praecepta, ab Horatio ex intima philosophia hausta, quamvis subtilia, a sensibus quasi remota, tanto artificio sub oculos revocantur, tam pellucidis collustrantur exemplis, ex communi vita petitis, ut legentium animus et delectetur et doceatur.

Propter quas virtutes merito dici potest, satiris Horatianis eam inesse indolem „ut risum lectori movendo tristes solvant animi affectus et animum ab intentione rerum frequenter avertant et aliquando reficiant et a satietate vel a fatigatione removeant“⁶¹⁾.

Quae Roth l. I. pag. 7. dixit, novae satirae hoc esse proprium, ut ad poesin didacticam tota referatur et in una materia consistat, quae eius modi sit, ut seculi mores ab institutis patriis descivisse arguatur, ea ad poesin satiricam Juvenaliam optime referri possunt.

Si quis enim alius, Juvenalis is est, qui Romanorum antiquorum priscam simplicitatem unicam perfectissimamque putet esse virtutem, adeo ut unamquamque virtutem abolitam esse censeat, cum rusticos cibos simplicesque vestes maiorum aequalibus displicere videat. Horatium modice tantum „tempora acta praedicare videmus, est enim filius et quasi imago quaedam suae aetatis,“⁶²⁾ tempora praeterita admiratur quidem laudibusque extollit quam maximis, non ta-

⁶⁰⁾ C. J. Bolia: De Horatio et Juvenale. Teuffel Charakteristik des Horaz pag. 63.

⁶¹⁾ König I, l. p. 58. 9. Arnold l. I. pag. sqq. Verba sunt Ciceronis facetias definientis.

⁶²⁾ A. Pierron: Histoire de la Littérature Romaine, septième édition. Paris 1876. p. 405. Kayssler l. I. p. 15.

men eorum reditum desiderat, non enim reverti posse sperat. Quin etiam interdum, quamvis tecte „laudatores temporis acti“ salse irridentur, ut in sat. II. 2, 89:

„Rancidum aprum antiqui laudabant, non quia nasus
„Illis nullus erat, sed credo hac mente, quod hospes
„Tardius adveniens vitiatum commodius quam
„Integrum edax dominus consumeret. Hos utinam inter
„Heroas natum tellus me prima tuliset!

Non ita Juvenalis: satira undecima tota continetur laudibus illius aevi, quo:

„Curius parvo, quae legerat horto
„Ipse focis brevibus ponebat holuscula“ XI, 78. sqq.
„Rudis et Graias mirari nescius artes
„Urbibus aversis praedarum in parte reperta
„Magnorum artificum frangebat pocula miles“ XI, 100 sqq.

Imaginem vetustae aetatis morumque simplicitatis, tam venustis interdum coloribus adumbratam vides ab Juvenale, ut vix sit, quod mireris Teuffelium³⁾ satirae et idyllii naturam similem et propinquam esse contendit. Contra Roth⁴⁾ idyllium satirae minus patiens esse arbitratur „nam idyllio satira quidem ornatur atque ex illo acrimonia inter speciem idyllicam animos recreatur, contra idyllium ex satira coacescit ac venustatis suae partem amittit“ Quamquam mihi nullo modo persuadere possum, ut in verba Teuffelii iurem, idyllium et satiram propinquitate quadam coniuncta esse, tamen ne Rothii quidem sententiae accedere libet. Tantum enim abest, ut idyllium ex satira coascescere putem — si quidem laudes vitae pristinae aetatis satiris insertae iure idyllia nominari possunt — ut idyllium eiusmodi eo maiore venustate atque decore ornari existimem. Namque ex comparatione vitae simplicitatis cum morum depravatione ac turpitudine eo planius, quid intersit inter nostra illaqueae tempora, videmus, eo vehementius attrahimur ad illam aetatem, cuius laudes illo idyllio continentur, eo facilius venustate carminis, quo describuntur, delectamur.

³⁾ Die Literatur über Juvenalis seit dem Jahre 1840. Jahns Jahrbücher Bd. 43. p. 97.

⁴⁾ De satirae natura commentatio. Gratulations-programm zum Erlanger Jubilaeum Nürnberg 1843. p. 8.

Juvenalis homo vere Romanus est, Romanos a principio fortes, integris moribus fuisse contendit, quae omnia a Graecis et peregrinis depravata atque corrupta esse, Romanorum vitia antiquis temporibus fuisse nulla, a Graecis demum simul cum disciplina et philosophiae studio esse inlata: ad pristinum statum civibus Romanis revertendum esse nisi ad perniciem trudi velint. Quo fit, ut vitia aetatis suae non quaemadmodum Horatius sensim emendanda vel potius minuenda, sed radicitus evellenda, atque extirpanda esse censeat, ut non ludendo pungat, sed cachinno quodam flagellet, non moneat lepideque adhortetur sed immaginibus horrendis, a vitiis sceleribusque abstertere conetur. Accedit, quod vita castrensi mores poetae aliquantum obdurerint paulatimque illi nimiae severitati adsuevit, quam Teuffelius rectissime „Landsknechtsmanier“ appellavit, nihil nisi malas civitatis partes videt, praetermittit, quid boni restabat, prae nimia ira indignationeque causas malorum eorumque originem praetervidet, omnia denique mala in suam aetatem solam conferre non dubitat.

„Ad mediam fere aetatem Juvenalis declamavit,“ quod studium haud scio an multum ad satirae eius virtutes augendas contulerit. Inde enim factum est, ut poeta nunquam fere aequae atque Horatius artem dissimulandi recte adhibeat, ut saepius, quam par est, doctrinam prae se ferat artemque ostendat atque declamatoris frigidi partes tum sustineat, cum animus veritatis imaginem exspectat.⁶⁵⁾ Qui nimis grandis sonus, quamquam non ita prorsus, tamen ex aliqua certe parte excusari ea re potest, quod castigantur atque reprehenduntur vitia maiora, quam quae risum movere possint, quare stylus in ea paulo acrius erat stringendus, quam in ea, quae Horatius sibi perstringenda atque castiganda proposuit. Neque, si quid poeta nimia rerum exaggeratione peccavit, vitium hoc erat ipsius sed aetatis, qua vixit. Non solum enim satira illius aetatis desperationis quandam formam induit, verum etiam in prosa oratione haud laetio-rem expressam vides imaginem. Plinius certe IV, 20, 5. haec de sua aetate queritur: „Quo te veritas, quae remedia conquiras? Ubique vitia remediis fortiora.“

⁶⁵⁾ Sat. XI, 162. sqq. XIII, 23, sqq. König l. l. p. 47. et p. 57. Teuffel: „Studien und Charakteristiken p. 420.

Neque in virtutibus satirae Juvenalianae poni potest, quod nunquam poetae ipsius ulla fit mentio; poeta ipse nunquam se fere vitiorum, quae aequalibus aetatis suae exprobrat, participem facit, unde fit, ut non tamquam amicus, qui tecum dolet, appareat, sed quasi semideus quidam, a numine quodam ad res hominum penitus transformandas destinatus, appareat. Adhortationibus eiusmodi non ex intimo pectore profectis, non a vero homine neque humanum in modum traditis, neque permovemus neque attrahimur — unum assequitur poeta — absterret a vitiis. „Et est quaedam tamen hic quoque virtus“, qua Horatium procul dubio Juvenalis superat.

Juvenalis non eadem felici usus est conditione, qua Horatius, qui principum summorumque civitatis virorum consuetudine usus illud versatile ingenium nactus est, quod in carminibus eius tantam movet admirationem. Quam urbane poeta partes praeceptoris severi a se sustentas dissimulat, quamque saepe doceri se velle a lectore ostendit, dum ipse praecipit et docet! Ut in Epp. I, 17, 13, ubi Diogenes ad Aristippum haec dicit:

„Si pranderet holus patienter, regibus uti

„Nollet Aristippus. Si sciret regibus uti

„Fastidiret holus, qui me notat. *Utrius horum*

„*Verba probes et facta, doce vel iunior audi.*“

Quae virtus Juvenali neque a natura data erat, neque ad aetatem, qua floruit conveniebat, qua unum tantum nihil periculi habuit — tacere.⁶⁶⁾ Quare quid mirum, quod Juvenalis natura ita institutus, ut aut vera loqui, aut tacere apud animum suum statuerit, paucorum tantum amicorum consuetudine utebatur, quibuscum consiliorum societate morumque similitudine coniunctus ea quae scripserat, communicabat? Quo autem magis libertas dicendi erat cavenda mortis aut exilii periculo imminente, eo vehementius liberiusque in amicorum circulo remotis arbitris erumpebat.⁶⁷⁾

Quaecumque de Juvenale eiusque satira, a viris doctis ferentur iudicia, id sane nemo ei suo iure obiciet, defuisse satiris eius ar-

⁶⁶⁾ W. S. Teuffel: Geschichte der römischen Literatur II. Auflage Leipzig 1872 p. 691.

⁶⁷⁾ König l. l. p. 58. — 60.

dentissimum patriae amorem. Quapropter mirum videtur, quod O. Müllerus⁶⁸⁾ imaginibus ab Juvenale expressis, negat subesse claram meliorum temporum recordationem, novisse quidem Juvenalem optime, quae Roma fuerit sua aetate, quamque perversa ac turpis vita eius incolarum, sed penitus ignorasse, quae illa vita esse deberet. Contra quae Ribbekius⁶⁹⁾ suo iure commemorat, satiram ne cogitari quidem posse, meliorum temporum recordatione atque memoria sublata. Qui enim fieri potest, ut poeta satiricus peiora reprehendat tempora eaque emendare cupiat, si ante oculos ipsius clara imago melioris aetatis non versatur? Neque quisquam, quamvis poetae alienissimus, infitiabitur, inesse satiris Juvenalianis non modo claram melioris aetatis memoriam, verum etiam ardentem amorem patriae, qui nunquam poetam ea oblivisci passus est, quae saluti reipublicae conveniebant. Quare, si quid vitii omnino Juvenali in hac re dandum est, id certe, quod prisca illa tempora, quamvis veram eorum imaginem animo penitus perceptam atque cognitam habuit, nimis pulchris, suam nimis atris adumbravit coloribus.

Scribebam Leopoli Idibus Iuliis MDCCCLXXXII.

Franciscus Majchrowicz.

⁶⁸⁾ Griechische Literaturgeschichte Bd. I. p. 230 A.

⁶⁹⁾ l. l. p. 3. Adn.

Die Slavenkriege zur Zeit Ottos III.

und

dessen Pilgerfahrt nach Gnesen

hist. Abhandlung

vom Prof.

Eugen Zharski.



I.

Die Slavenkriege zur Zeit Ottos III.

Von den Sudeten bis zur Ostsee einerseits, zwischen der Elbe, der Oder und der sächsischen Saale andererseits, waren die Gegenden im zehnten Jahrhunderte Schauplatz eines Vernichtungskampfes. Es sassen hier die am weitesten gegen den Nordwesten Mitteleuropas vorgedrungenen Vorposten der grossen Slavenwelt, in vielen kleinen Völkerschaften. Die südöstlichsten an der Neisse, der Quelle der Spree, der Elster bis zur Elbe, nannte man Milziener; westlich von diesen über die Elbe hinaus, bis zur Mulde, sassen die Daleminzier und hinter ihnen bis zur Saale die Sorben. Sie bildeten zusammen die thüringische Mark, die getheilt war in Meissen! Nördlich von ihnen an der Elster, Spree und Neisse, wohnten die Lusitzer bis zur Havel, und gehörten zur Ostmark, oder der Mark Lausitz. Weiter oben hinter diesen, an der Havel, Spree, der unteren Elbe und Oder, hiessen die stärksten und zahlreichsten unter der Stämmen, Lutizen, von denen kleine Nebenzweige, die Bedarier und Ukrer, den Uebergang einerseits zu den Obotriten, andererseits zu den Witzen oder Winden bildeten. Uiber ihr Gebiet erstreckte sich die sächsische Nordmark. Die Obotriten zwischen Tollense und Elbe, bis an die Gestade des baltischen Meeres, waren in der billungischen Mark inbegriffen. Die Bewohner der Insel Rügen, angeblich die ältesten, nannten sich Rannen und waren Hüter des höchsten heidnischen Heiligthums zu Arkona. Am weitesten gegen Nordwesten endlich, die Wagner oder Warner, sassen auf hollsteinischem Gebiete.¹⁾ Uiberdies in früheren Zeiten, begeben

¹⁾ Ubersichtskarte zu IV. Giesebrechts Geschichte der deut. Kaiserzeit Band I.

wir einer Menge anderer Volksnamen, die theils einen und denselben Stamm bezeichnen, theils frische Geschlechter, die im Laufe der Zeit, durch Anwachsen zum Volksstamm sich emporarbeiteten.²⁾ Die Elbeslaven demnach, als die nächsten Nachbarn der Deutschen, insbesondere der Sachsen, lebten als Heiden in viele kleine, von einander unabhängige Völkerschaften gegliedert.

Das slavische Heidenthum war darnach angethan, nur den Geist des Partikularismus zu nähren. Seine dualistische Götterwelt, ein Abglanz der alten arischen, vermochte nicht ein geordnetes spekulatives Religionssystem zu schaffen. Denn einen eigentlichen Priesterstand gab es bei den heidnischen Slaven ebensowenig, wie es einen rituellen Gottesdienst gab, der geeignet wäre, durch Schaustellung und strenge Beachtung bestimmter festlicher Ceremonien, durch Gebet und Gesang, an bestimmten Orten und zur festgesetzten Zeit, den Cultus bis zu dieser Macht zu erhöhen, die nothwendig ist, um Volksmassen zu beherrschen.³⁾ Die alten Wenden kannten nur Tempelhüter und Götzendiener, die berufen waren fromme Gaben anzunehmen, übliche Opfer zu verrichten, das Heiligthum geheimnissvoll in Stand zu halten, und in gewohnter Weise, so oft sie befragt wurden, kasuistische Wahrsagerei zu treiben. Diese war es eigentlich, die sie in den Augen der abergläubischen Menge, im hohen Ansehen erhielt. Es fällt nicht schwer zu begreifen, dass ein derartiges Gebahren, weder den Geist in irgend einer Richtung zu heben vermochte, noch überhaupt geeignet war, ein Wissen in Religionssachen anzubahnen. So hat sich zunächst auf religiösem Gebiete bei den Wenden eine eigenthümliche Autonomie geltend gemacht, indem einzelne Familien und Geschlechtshäupter ihrem angeerbten Cult, nach eigenem Wissen und Gewissen oblagen.

Da den heidnischen Slaven geschriebene Gesetze mangelten, so bildeten traditionelle Satzungen, die Grundlage ihrer Sitten, Gewohnheiten, Lebensweise und zwar so, dass Religion und Sitte zusammenfielen. Aus dem ursprünglichen Familiencult hervorgegangen, übergieng die angeerbte und anerzogene Lebensweise in die Geschlechter, um alsdann im Stamme ihren Abschluss zu finden.

²⁾ Helmoldi Chron. Slavorum editio Henrici Bangerti 1702 l. I, cap. 5—

³⁾ Wendische Geschichten Th. I, S. 62—83.

Nur so weit brachten es die slavischen Heiden in ihrer politischen Entwicklung, dass sie die Autorität der zahlreichen Geschlechtshäupter, auf ein gemeinschaftliches Namenshaupt, Fürst oder „Knez“ übertrugen. Dass sie dazu durch auswärtige Gefahren gezwungen wurden, ist klar. Allein die Thatsache, dass zahlreiche Stämme zugleich auch autonome, von einander unabhängige Völkerschaften hervorbrachte, verdamnte sie zur politischen Ohnmacht. Die Wenden waren, weder geeignet eine kräftige politische Nationalität zu entwickeln, noch einen auf Prinzipien beruhenden Staat zu bilden. Die nöthigen Ideen und Autoritäten hiezu, konnte ihnen nur das Christenthum darbieten. Dieses sollte ihnen jedoch von einer Seite und in einer Weise aufgedrungen werden, die nichts weniger als geeignet war sie für dasselbe zu gewinnen.

Hart an der offenen Grenze im Westen, erhob sich das mächtige christliche Reich der Deutschen. Gleich in der ersten Hälfte des zehnten Jahrhunderts, gelangte zur Herrschaft über dasselbe das sächsische Kaiserhaus. Schon die unmittelbare Nachbarschaft nährte unaufhörliche Feindseligkeiten zwischen Sachsen und Slaven. Ueberdies trat das römisch-deutsche Kaiserreich an die heidnischen Wenden mit der Forderung heran, mit der gewaltsamen Bekehrung zum Christenthum zugleich unter die deutsche Herrschaft sich zu fügen. Die Wenden rangen mit zäher Ausdauer um ihre autonome und nationale Freiheit. Sie waren verurtheilt für die theuersten vaterländischen Güter einen Kampf auf Leben und Tod zu bestehen. Welcher Art diese Güter waren, ersieht man aus folgendem.

„Bei den Christen, meinten die heidnischen Stettiner, giebt es Diebe und Räuber; man haut ihnen die Füsse ab, man beraubt sie der Augen, alle Arten von Verbrechen übt der Christ gegen den Christen: eine solche Religion bleibe ferne von uns.“⁴⁾ Dagegen hegten die Wenden überhaupt den festen Glauben, dass ihren Göttern nichts angenehmer wäre, als das Blut der verhassten Christen und wenigstens einmal im Jahre musste ihr Kriegsgott Swatowid, am Blute eines Christen sich sättigen. So waren die Gegenätze zu grell und zu gross, zwischen den geharnischten sächsischen

⁴⁾ Wendische Gesch. S. 54.

christlichen Kriegsscharen und den mehr zum friedlichen Leben hinneigenden wendischen Gemeinden. Die Nachbarschaft der Ostsee, die unmittelbare Mündung zweier grösserer Ströme ins Meer, der Elbe und der Oder, gaben den Slaven in jenen Gegenden, eine eigene Richtung in der Entwicklung: sie treten frühzeitig genug, in friedlichen Handelsverkehr und Handelsverbindungen mit verschiedenen entfernteren fremden Völkerschaften. Dies förderte das Aufkommen selbst grösserer slavischer Handelsstädte, in denen eine Art Toleranz zwischen Heiden und Christen gepflegt wurde. Dem gemäss führten die Elbe- und Oderslaven, kein geräuschvolles Leben, als Kriegsvolk. Befangen, in autonomen gentilen Lebenskreisen, kultivierten sie mit besonderer Vorliebe die Werke des Friedens. Der Pflug, die Vieh- und Bienenzucht, Fischerei und Handel, waren ihre Lieblingsbeschäftigung. Die Folge des stäten Waffenhandwerks war Fehdesucht und Herrschsucht. Einen des Lebenlichtes zu berauben, oder ihn zu knechten, galt als tägliche Erscheinung. Nicht so bei den Slaven. Wie gering auch der politische Zusammenhang unter den slavischen Gemeinden war, ihre autonomen Gebräuche sicherten die freien Insassen vor Willkühr und brutaler Gewalt, ebenso wie vor Noth und Elend. Dass die Slaven bei ihrer mehr friedfertigen Lebensweise, durch Handel mit den Griechen und anderen fremden Völkern einen Grad materiellen Wohlstandes für jene Zeiten erreicht haben, ersieht man zur Genüge aus den Berichten deutscher Chronisten.⁵⁾ Bedenkt man ferner, dass im benachbarten deutschen Reiche, die strengen Dienst- und Lebensverhältnisse, das freie Leben ganz absorbierten, so musste es um so härter für die Slaven erscheinen, ihr Gemeingut mit einem fremden Herrscher theilen zu müssen. Die Slaven wurden lange nicht zu Gunsten eines herrschenden Systems, zum schweren, selbstverleugnenden Dienst herangezogen, wie es bei den Deutschen der Fall war. Harte Tagesarbeit dagegen war bei den Slaven nicht bloss für den Sclaven, darum erschien sie auch minder lästig.

Was ihnen an Kriegstüchtigkeit abgieng, suchten sie durch feste Burgen zu ersetzen. Denn ihnen verblieb nur die Wahl

⁵⁾ Ann. Saxo ad an. 983. Pertz M. G. T. VIII.

zwischen Untergang, oder harter Sklaverei. Und selbst in dieser ihrer ungenügenden Verfassung wussten sie Worte der Annerkennung ihrem harten Gegner abzdringen. „Die Slaven, sagt Widukind, sind ein starres, in der Arbeit ausdauerndes Volk, an die leichteste Nahrung gewöhnt, und was den Unseren eine schwere Last zu sein pflegt, erachten sie gewissermassen für Lust. Aller Noth die theuere Freiheit vorziehend, erheben sie sich, trotz vieler Niederlagen immer wieder zu den Waffen.“⁶⁾

Dieser Kampf begann zur Zeit Heinrichs I. mit dem Jahre 928. Nach der Einnahme Brandenburgs, folgte am 4. September 929 die Niederlage der Wenden bei Lenzen.⁷⁾ Nur durch die Gunst der Umstände wurden sie gerettet. Ottos I. Kämpfe nach seiner Wahl, so wie das Vordringen der Dänen, verschafften den Elbe- und Oderslaven, vorübergehende Erleichterung. Brandenburg kam wieder in die Hände der Letizen. Die Sachsen vertrauten dagegen nicht blossem Waffenglück: der von Otto I. als Markgraf eingesetzte Gero (937), „der Schrecken der Feinde,“ lud an einem Tage 30 wendische Häuptlinge zum Schmause, und als diese vom Weine berauscht waren, wurden sie sämmtlich erschlagen.⁸⁾ Dies gab das Signal zur allgemeinen Erbitterung und Empörung unter den Wenden. Allein, ein Verräther aus fürstlichem Geschlechte, Namens Tugumir, übergab die Feste Brandenburg an Gero.⁹⁾ Otto I. unterwarf schliesslich persönlich die Obotriten und Wilzen. Sein Waffenglück benützte er rasch dazu, um die Bezwungenen gewaltsam zu bekehren. Sächsische Geistliche und Mönche durchzogen das Land, in Begleitung bewaffneter Scharen. In den Jahren 946 und 949 entstanden die Bisthümer zu Havelberg und Brandenburg. Das Volk musste an die neuerrichteten Kirchen und ihre Häupter den Zehnten und sonst viele anderen Abgaben entrichten.¹⁰⁾

⁶⁾ Widukind l. II. cap. 20.

⁷⁾ Wendische Gesch. S. 136.

⁸⁾ Widukind l. II. cap. 20.

⁹⁾ Giesebrecht Gesch. der deutsch. Kaiserzeit I. Th. S, 297.

¹⁰⁾ Gfrörer Kirchengesch. III. B. 3 Abth, S. 1278.

Allein unter den Sachsen selbst fanden sich Reichsfeinde, die zu den Wenden giengen, als neue Zerwürfnisse Ottos I. mit seinen nächsten Anverwandten Veranlassung dazu gaben. Zwei sächsische Grafen, die beiden Neffen Eckbert und Wichmann, stellten sich (954) an die Spitze der von ihnen aufgewiegelten Wenden. Diese kämpften viel glücklicher, unter der klugen Leitung fremder Autoritäten, als unter ihren eigenen Fürsten Nako und Stoinew. Sie wagten sogar Sachsen zu verheeren. Nachdem aber die Ungarn am 10. August 955, am Lechfelde bei Augsburg für immer besiegt wurden, konnten die Reichskräfte umso nachdrücklicher gegen die Elbe- und Oderslaven aufgebracht werden. Noch in demselben Jahre gewann Otto I. am 16. Oktober die entscheidende Schlacht an der Reknitz, und zwar durch hilfreichen Beistand der Rannen von der Insel Rügen. Ein sächsischer Krieger, Namens Hosed, tödtete den Stoinew, dem des Haupt abgeschlagen, und die kostbare Rüstung ausgezogen wurde. Den nächsten Tag wurde Stoinews Haupt am Pfahle aufgestekt und 700 gefangene Wenden um dasselbe geköpft. Einem Vornehmen liess man die Augen ausstechen und die Zunge ausreissen. Allein diese barbarische Strenge bewirkte einen umso hartnäckigeren Widerstand. Nicht so durch des Markgrafen Gero und Hermans des Billungers Tapferkeit und Waffenglück, als vielmehr durch andere Verhältnisse, wurde die Widerstandskraft der Wenden auf geraume Zeit gebrochen¹⁾. Lange fanden diese einen Rückhalt an den benachbarten Reichen der Böhmen und Polen. Allein die Befestigung des Christenthums und der deutschen Oberhoheit im ersteren, so wie die Christianisierung des letzteren, brachten die Wenden in eine mehr isolierte Lage. Der Polenfürst Mieczysław war überdies klug genug sich rechtzeitig an Deutschland anzuschliessen. So wurden demnach seitens Ottos I. als Kaiser weitere Schritte zur Befestigung des Christenthums und der deutschen Herrschaft unter den Wenden unbehindert gethan. Ein eigenes Erzbisthum zu Magdeburg, dann die Bisthümer zu Merseburg, Zeitz und Meissen, wurden errichtet. Auch die älteren Bischöfe von Havelberg und Brandenburg leisteten ihrem neuen Metropolitzen Huldigung²⁾.

¹⁾ Roepel Gesch. Polens I. Th. S. 96 -97.

²⁾ Grförer S. 1278—81.

Dennoch fand sich Kaiser Otto I. genöthigt ein Jahr vor seinem Tode (972) an die Herzoge Sachsens zu schreiben: mit den Redariern sei kein Frieden zu schliessen, sie müssen ganz ausgerottet werden. Dieser Wunsch ging jedoch nicht in Erfüllung¹³). Gefahren, die den Sachsen von den Dänen droheten, so wie ein Zerwürfnis mit den Polen, durch Markgraf Hodo veranlasst, retteten die Redarier.

Nach Ottos I. Tode vergiengen nahe volle zehn Jahre, ohne dass in den Wendenlanden ein Kampf von Bedeutung vorgefallen wäre. Die deutschen Waffen wandten sich vorherrschend gegen Italien. Als jedoch Otto II. das Missgeschick südlich von Cotrone, in Unteritalien, am 13. Juli 982 traf, und die Nachricht hievon auch nach Deutschland kam, da wurden die Wenden von neuem ermutigt, das ihnen gewaltsam aufgedrungene Christenthum, mit der deutschen Herrschaft abzuwerfen. Ach in Dänemark begann des Heidenthum gegen das Christenthum sich aufzulehnen.

Die dänischen Seeräuber, Vikinger genannt, hatten an der baltischen Küste oberhalb der Pennemündung, eine Feste, die Jomsburg, unter Palnatokes Führung angelegt. Dort entstand eine Art normännisches, heidnisches Ritterthum, das bestimmt war, eine sichere Zufluchtstätte, so wie einem Ausgangspunkt für kühne Unternehmungen zu bilden¹⁴). Allein diese Jomsburg vermochte unter den Wenden weder kriegerische Begeisterung hervorzurufen, noch eine zeitgemässe Reform ihrer ungenügenden autonomen Kriegsverfassung anzubahnen. Die Kriege der Sachsen mit den Wenden behielten fortwährend den Charakter der isolierten Lokalkämpfe.

Noch fünf Monate vor dem Tode Ottos II., am 29. Juni 983, erhoben die Lutizen den Aufstand. Völkerschaften, die mit der Annahme des Christenthums den deutschen Königen und Kaisern tributpflichtig geworden sind, erzählt Thietmar¹⁵), durch Stolz und Herrschsucht des Herzogs und Markgrafen Dietrich belästigt, griffen einmüthig zu den Waffen. Sie überfielen zunächst Hawelberg, er-

Widukind l. III. cap. 68—70 Thietmar l. II, cap. 19.

Wendische Gesch. S. 2:5—30.

Thietmar l. III. C. 10.

